


*ationum
spec.*



42

VIRO
PLVRIMVM REVERENDO, CLARISSIMO, ATQV^I
DOCTISSIMO,
**M. SAMVELI THEODOR
THIENEMANNO,**
SVMME REVERENDI MINISTERII ALTENBURGENSIS
ADHVC ADIVTORI PROBATISSIMO,
SVCCESSORI SVO AMICISSIMO, PASTORI AD COLLEGI
ILLVSTRE MAGDALENENSE, QVOD ALTENBURGI
FLORET, RITE VOCATO
NOVAM PROVINCIAM
NOMINE SOCIETATIS LITTERARIAE,
CVIVS MEMBRVM ADHVC ESSE IPSI FELICITER OBTICIT,
PRAEMISSA DISQVISITIONE
DE ABRAHAMO, DOCTORIS CATECHETI
PERFECTISSIMO EXEMPLARI

PIE GRATVLATVR
FRIDERICVS GOTTLIEB ERDMANNVS,
PASTOR SVBSTITVTVS CALENSIS ET EPHORIA
ORLAMVNDANAЕ ADVNCTVS.

ap.



MENSE SEPT. M D C C L I I I .

ALTENBURGL. LITTERIS PAVLI EMANVELIS PICUTERI

MS. SAMVETI THEODORE
THEODORI SAMVETI

DE LIBERIS ET LIBERTATIBUS
LIBERIS ET LIBERTATIBUS



VIR
PLVRIMVM REVERENDE, CLARISSIME
ATQVE DOCTISSIME,
FRATER AC AMICE HONORATISSIME,
DILECTISSIMEQVE,



odus veritates, salutis humanae consequendae causa
diuinitus revelatas, iis, qui in rebus diuinis caec
sunt, proponendi ac inculandi, est varius. Diui
nitur nimurum in systematicum et catecheticum. Il
le in eo consistit, vt fidei dogmata methodo acroamatica traclentur
ab illis, qui sapientia diuina sufficenter sunt instructi; hic autem,
vt religionis christianaee principia methodo catechetica tradantur ab
illis, qui cognitione haud vulgari in hac scientiae parte pollent. (a)
Posteriorem docendi methodum scriptores ecclesiastici diuini
dunt in domesticam, scholasticam & ecclesiasticam. Domestica
usi sunt patres familiarum, aliquique pii christiani, qui in aedibus
suis liberos suos atque alios rudiores instituebant, vt eos cognitio
ne praecipuorum doctrinæ coelestis capitum imbuarent; quare
Paulus omnes et singulos parentes sic adhortatur: *nolite ad iracun*

A 2

diam

(a) Lege Magnifici Walchii disput. de variis theologiam tradendi me
thodis.

diam provocare filios vestros; sed educate eos in disciplina et admonitione Domini Epheſ. VI, 4. (b) Scholaſtica a praceptoribus in ſcholis publicis apud diſcipulos, et eccleſiaſtica in templis Deo conſecratis apud auditores a miniſtris eccleſiae adhibetur. (c)

Quia infantes et homines rudiores ſublimiora non capiunt, et methodus docendi ſynthetica ab antiquissimae aetatis viu eſt aliena; procul dubio cognitio rerum diuinarum a primaeva eccleſia ad posteros per methodum catecheticanam eſt propagata. Prouoco ad exemplum Iohannis, Chriſti praecursoris, qui auctum baptismalem a Deo mandatum ſine iuſtitutione catechetica non abſolut, teſte Luca Cap. III, 1-14. Prouoco ad ipsum ſeruatorem noſtrum optimum, qui puer adhuc locum occupauit inter catechumenos et ſingularem ſuam in rebus diuinis cognitionem per quaeftiones et reſpoſtiones declarauit Luc. II, 46. conf. Matth. XVI, 13-17. Prouoco ad eius Apoſtolorum, qui illum in hac docendi ratione ſequuti pro auditorum ſuorum captu eandem proponendi methodum adhibuerunt, quare Paulus ad Corinthios ſcribit: Γάλα υνᾶς ἐπόλιοι, καὶ οἱ βρῶμα, laetiſ potu vos alii et non cibo, 1 Cor. III, 2, quod Clemens Alexandrinus de Catecheſi explicat, (d) et Ebr. V, 12, catecheticae doctrinae capita nominat τὰ σοιχεῖα τῆς αρχῆς τῶν λογίων τὰ θεῖα elementa initii ſermonum Dei; (e) quorum uestigia preſſerunt viri apoſtoli, ut Titus, Timotheus, Barnabas, Clemens, Apollo, Aquila, aliique, qui partim Apoſtolorum aequales, partim iis ſuperftites vixerunt. Provoco tandem ad eccleſiam antiquam, in qua omni tempore credenda et agenda rudioribus eodem modo ſunt tradita et inculcata. (f)

At non christianaſ ſolum, ſed et patriarchali et iudaicæ eccleſiae haecce docendi methodus familiaris fuit, quod quidem potest tam dictis, quam factis probari. Ad illa quod attinet, ablego ad testi-

(b) Videatur Dafcoui infans Hebraeorum liberaliter educatus.

(c) Lege D. Langemackſ Hift. catech. P. I. cap. 1. p. 12.

(d) Vide ſumme reuerendi Walchii Introd. in Lib. Symb. p. 541. & Vitrin. gae Obſeruat. S. p. 310.

(e) Cornelius a Lapide in Comment. ad Galat. ſcribit: Apoſtolorum conciones fere tantum erant catecheses: adde Danhauerſ Catechismus- Milch P. I. p. 1.

(f) Hanc materiam ex professo tractarunt D. Walchius in disput. de iuſtitutione Apoſtolorum catechetica & Langemack. l. c.

testimonium luculentissimum Exod. XII, 25. 26. 27. vbi Deus populo suo hanc legem dedit: *Si filii vestri vobis dixerint: quis hic cul tus vester? respondebitis: viettima sive sacrificium transitus Domini est; qui praeterit domos filiorum Israe lis in Aegypto, quum caederet Aegyptios, et domos nostras liberauit; quod cum sine dubio simpliori modo factum sit per quaestiones et responsiones, quarum hic expreſſe mentio fit; exemplum omnino catecheseos in hac a Deo praeſcripta conſuetudine habemus.* Idem confirmanc verba Deut. VI, 2. seq. vbi Deus non ſolum ab adultis, ſed etiam infantibus requirit, vt in via Domini ingrediantur, eius praecelta cuſtodiētes ac ob feruantes. *Quod vt recte et diligenter fieret v. 6. 7. addit: Sevelle, vt praecelta diuina habeant in corde, filiis suis inculcent, ac ſem per de iis loquuntur; quod optime fieri poterat per eum docendi modum, qui rudioribus illorum ingenii conueniebat: adde verba Salomonis Prov. XXII, 6. quae beatus Lutherus convertit: Wie man einen Knaben gewöhnet, so läſſet er nicht davon ab, wenn er alt wird, ſed in fontibus ita ſe haben: initia ſeu inſtrue ab incunabulis puerum in via ſua, a qua non recedet, cum conſenuerit;* qua de cauſa Iudei Catechismum ſuum dicunt: סְבָר וּכֹךְ librum initiationis. (g)

A dictis confero me ad facta. Sic litterae sacrae mentionem faciunt patriarcharum aliorumque piorum in populo Dei parentum, qui hanc docendi methodum amauere. Quamuis ſententia eorum, qui ſtatuant, patriarchas libros catecheticos conſcripſiſſe, tanquam fabula reiicienda fit; (b) tamen id ipsum negari non potefit, ſcholas publicas ad erudiendos infantes in rebus fidei et morum tempore Iudicum et piorum regum Iudaicorum exfructas, imo etiam ante legem ſcriptam viſitatas fuſſe. (i) Cuius rei teſtes omni exceptione maiores ſunt ipſi patriarchae. Et vt breuiffimis me expediam, ad unicum prouoco Abramum, qui totam familiam ſuum methodo catechetica pie ac fideliter in viis Domini erudituit.

Cum igitur, Amice ſuauiflme, piorum exempla ad imitandum omnibus ſint proposita; imprimis ministri eccleſiae, vt iis, qui

viam
A 3

(g) Vide Vatabl. adnot. in h. l. Geieri Comment. in h. l. et Alberti diſ putat. de Catechesi p. 22.

(b) Ioh. A. Fabricius in codice Pſeudepigrapho V. T. refutauit eos, qui hanc fabulam flatuerunt.

(i) Lundii Jüdiche Heilighümer p. m. 862. & Goodwini Moſes et Aaron p. 369.

viam Dei recte docuerunt et doctrinam puram sancta vita ornarunt, similes fiant, omnem adhibere debent diligentiam.

Deus ante aliquot annos in vineam suam TE introduxit, et vt summe reuerendo ministerio, quod Altenburgensem sacra administrat, adjutor essem, TE rite vocauit. Hocce munus fidei TVAE commissum, TIBI occasionem praebuit, rudiores in cognitione veritatum coelestium erudiendi, exoptatissimam. Atque TV, Abramum imitatus, quod TVVM fuit, id omni et studio et fide, laudabiliter fecisti. Iam vero prouidentia diuina cum factum sit, vt optimi principis nostri, Patris patriae clementissimi, gratia mili munus Doctoris ecclesiastici apud meos iam dilectissimos Calenses auspicato quidem demandatum sit, et collegium illustre Magdalenense splendidissimum TE successorem meum constituerit, hocce munus nouum nouuam TIBI suppeditat occasionem, iuuentutem nobilitate generis ac virtutum claram tam publice, quam priuatim in primariis doctrinae salutificae capitibus informandi. Maxima ego perfundor laetitia, quod ordo me tangat, nomine societatis literariae, quae studiorum causa a nobis inita est, TIBI nouam hanc provinciam amice congratulandi. Hanc enim occasionem capio TE cum ante, vt solent, colloquendi pauca de Abrahamo, Doctoris cathechetici perfectissimo exemplari; quem quidem fideliter si porro imitatus fueris, TE credo, officium TVVM omnino expleuisse.

§. I.

Abrahamus, vt vitae ipsius curriculum breuissime depingam, e filiis Sem ortus, fuit unus ex illis, cui promissio diuina de semine mulieris benedictio e posteris suis nascitur, facta est i. Paral. I, 24-27. Pater eius Thara habitabat in oppido Vr, quod Vr Chaldaeorum olim dictum est. (k) Cum diuinitus admonitus hanc

(k) Multi Iudeorum interpres hanc vocem appellative sumunt et interpretantur per ignem seu flammam; vnde fabula de Abrahamo in ignem ob non adoratam Nimrodi imaginem coniecto, orta est. quam prudentiores recte reiiciunt. Hinc b. Buddeus in Hist. eccl. bene scribit: Haec fabula iam pridem a viris doctis explosa est. Hoc veritati conscientiam nentiquam negari potest, Vr ebraice significare ignem a radice יְהֹוָה lucere, illucscere: Et Chaldaeos, Persas, Medos et Assyrios ignem religiose coluisse, in dubium vocari non potest; sed ex scriptura sacra praesertim Gen. XI, 28. euidenter constat, Vr accipi pro

hanc patriam suam deseruisset, per aliquot annos in vrbe, Haran dicta, substitit, et, patre mortuo migravit in Chanaeiam, a posterioribus sic dictam; siquidem Chanaensis posteri eam occupauerant. (1) Quod liberos ipsius attinet, filium unicum e Sara natum habebat, ex Agare autem Ismaelem et ex Cetura plures filios suscepit, qui recentur Gen. XXV, 1. 2. Sicuti omnes, Deum diligentes et in studio pietatis sese exercentes, multis in hoc terrarum orbe angustiis omni tempore fuerunt expositi, ita et Abrahamus multa paissus est aduersa, quae sunt fames, quae coegerit illum in Aegyptum migrare; captiuitas Lothi; rixae perpetuae inter Saram et Agarem; iniuria, qua affectus fuit a feruis Abimeleci, qui vi occuperant puteum, quem ipse effoderat. Tandem omnibus laboribus sancte perfunditus placide ac beate anno CLXXV diem obiit supremum et a duobus filiis suis Iaaco et Ismaele apud Saram, vxorem suam in spelunca Macpela sepultus est Gen. XXV, 8. 9.

S. II.

His praemissis, ad rem ipsam accedo, quam quidem, de Doctorate catechetico in genere, et de Abrahamo Doctoris catechetici perfectissimo exemplari speciatim acturus breuibus absoluam. Ad illud igitur quod attinet, cum omnis disputatio recte a definitione incipiat; Doctor catecheticus, seu catecheta dicitur is, qui via voce catechetica, de rebus ad fidem et pietatem spectantibus instruit, eo fine, vt nomen Dei glorificetur, regnum Christi augeatur et auditorum vera felicitas promoueat. Denominationis autem causam si quaeras, scias, Doctorem catecheticum seu Catechetam nomen trahere a verbo κατηχέω sono, refono, via voce instituo, quod raro quidem apud scriptores profanos occurrit, sed eo frequentius

in pronomine proprio vrbis, in regione Chaldaeorum, quae procul dubio Vr dicta est, quia ignis in ea a Chaldaeis colebatur, vti Heliopolis a cultu solis nominata perhibetur. Vide Ruffi disp. de euocatione Abrahami ex Vr et Fabritii disquis. theol. de vocatione Abrahami eiusque obedientia fidei.

(1) Alias dicitur Palaestea seu Philistaea a Philistaeis, qui partem eius praeccipuum aliquamdiu tenuerunt: postquam autem a Iudeis occupata est, nomen gerit terrae sanctae, non solum ob sanctum legis depositum atque sanctam Dei praesentiam; sed imprimis ob promissionem Messiae, qui in ea nasciturus et sanguine suo mundum redempturus erat.

in litteris sacris legitur Luc. I, 4. Act. XVIII, 25. Gal. VI, 6. Quare doctores illi ecclesiae, qui rudioribus primaria fidei capita proponunt, dicuntur Catechetae, quorum sane munus antiquissimum est: iam enim antiqua in ecclesia hocce munere persuncti sunt non solum viri apostolici, sed et omnes ecclesiae doctores, Episcopi nimirum, Presbyteri, Diaconi aliisque. In primis obierunt munus catecheticae institutionis Catechetae stricte sic dicti in scholis catecheticas, hunc in finem adornatis, ut rudiores primaria et fidei et morum dogmata addiscerent. In quibus quidem celeberrima fuit Schola Alexandrina, fundatore, ut Eusebius censet, Marco Evangelista, cui quidem insignes veteris ecclesiae doctores praefuerunt, qui munus illud sacrum magna prudentia et auctoritate, propagandae veritatis christianaecaula inter Iudeos et Ethnicos, administrarunt; quorum primus nominari solet Pantaenus, stoicae sectae Philosophus, cui successit discipulus eius Clemens Alexandrinus, quem exceperunt Origenes, Dionysius, aliquique viri dignitatis atque scientiae laude clarissimi. (m)

§. III.

Ad cognoscendum, quid ad Catechetam, nomine suo ac munere dignum, requiratur, multum facit, nosle finem catecheseos, eosque, cum quibus ipsi res est. Dicuntur hi Catechumeni et sunt, qui, ut Theologi loquuntur, obiectum catecheseos personale constituant. In primaeua ecclesia diuini sunt in audientes, competentes et electos. Audientibus licuit lectionibus publicis interesse, tum vero e coetu publico exire lex ecclesiastica eos obstrinxit, cum Diaconus clamaret: ite catechumeni! Competentes fuerunt, qui, postquam satis in rebus diuinis instituti essent, baptismum petierunt. Electi, qui examine probati, digni habitu fuerunt, ut, facro lauacro initiati, in sinum ecclesiae admitterentur eo tempore, quo Diaconus dicebat: Orate electi! (n) Ecclesia nostra euangelica distinguit eos ratione aetatis in iuniores et adulos, qui simpliciter sunt impremiti sanctioris doctrinae, quibus lac tantum siue fidei ac morum principia sunt praebenda, et qui dicuntur infantes respectu perfectorum, vtpote qui, licet nonnulla religionis christianaecapita cognoverint, ad eum tamen scientiae gradum, quem perfectiores tenent, nondum peruererunt: ratione sexus in pueros et puellas: ratione coetuum in ecclesiasticos et extraneos, quorum illi sunt, qui in sinu eccl-

(m) Vide Langemack's Hist. Catech. et Miri Antiquit. eccles. p. 28.

(n) Lege Miri Antiq. eccles. p. 183.

ecclesiae viuunt, et vel convertendi, vel confitentes, ad sacram coe-
nam accessuri; hi vero, qui erroribus relictis, castra ecclesiae chri-
stianae sequuntur: ratione graduum, in incipientes et perfectiores. (o)

§. III.

Omnis illi instituendi sunt in rebus fidei et morum, quae qui-
dem obiectum catecheseos reale vocantur, e limpidissimo scripturae
sacrae fonte hauis, quarum praecipuae sunt: doctrina de decalo-
go, vt bonorum operum norma, de Deo, essentia vno et trino per-
sonis, de incarnatione filii Dei, de peccato, de merito Christi, de
sacramentis, eorumque fructu atque effectu, aliisque fidei funda-
mentis, quae per quaestiones et responsiones sunt tradenda et radio-
ribus inculcanda; quia ille modus docendi ob hominum plerorum-
que sumimam ignorantiam necessarius est, quippe cui infirmitati ali-
ter, quam per catechesin, subueniri non potest. Hoc enim modo
ingenii vires, profectus et defectus, optime explorari et corrigi pos-
sunt, adeo, vt gloria diuina et catechumenorum salus promoueat. (p)

§. V.

Hos igitur rudiores instituendi munere qui recte et salutariter
perfungi vult, quis dubitaret, eum ante omnia literarum sacrarum
cognitione sufficienter instructum esse debere? Per eam namque sci-
entiam facultate pollet, quaeuis catecheticae doctrinae capita pro-
bandi et illustrandi, aliisque inculcandi. Quare saluator noster op-
timus dicit: *Omnis scriba, doctus ad regnum coelorum, similis est ho-
mini, parri familiis, qui promit et thefauro suo noua et vetera, Math.
XIII, 52.* At in bono Catecheta plures concurrent virtutes, necesse
est; in quibus primo loco prudentiam nomino. Haec opus est, cum
in explorandis catechumenorum ingenii, tum in ipsa ratione do-
cendi veritates coelestes eo modo, vt suauitas cum grauitate et pon-
dere sermonis coniungatur; et, quae minus necessaria, aut difficiliora
sint,

(o) Laude dignum est, teste b. Spenero in piis desideriis p. 185. Argento-
rati puellas institutioni catecheticae interesse oportere, donec matrimo-
nium inceant.

(p) B. Danhauerus ex Math. XXVIII, 19. Necessitatem veritates diuinis ca-
techetice proponendi, solide ac eleganter demonstravit in lacte catech.
T. VIII. P. II. Conc. XX. n. 7. p. 436. seq. et b. Zentgrauius, quinam ar-
ticuli fidei primario loco ponendi et inculcandi sint in institutione ca-
techetica, fusius ostendit in disp. de christiana catecheseos capitibus.
Add. Alberti disput. de Catechesi.

sint, remoueantur. Cum enim doctrinae capita, quae in Catechismo occurunt, sint vel dogmatica vel moralia; ea ita sunt tractanda, vt verbum veritatis recte diuidatur, intellectus illuminetur et voluntas sanctificetur. Ut breuiter me explicem, prudentia docet doctorem catecheticum, cuncta ad discentium indolem ac captum accommodare, et ea tantum tractare, quae maxime necessaria atque utilia esse cognoscit; itaque quaestiones formare, vt rudiores istas intelligere, ad eas respondere, ac rem ipsam memoria tenere valeant. Cum cognitione theologica et prudentia porro coniungendus est sincerus erga Deum et catechumenos amor, qui primarius fidei fructus est. Ex eo enim oritur diligentia indefessa, qua sit, vt nihil omittatur, quod ad salutem et felicitatem catechumenorum obtinendam pertinet. Diligentia denique parit patientiam, quae animum in omnibus laboribus ac aduersis erigit, tranquillum reddit, et ad fortiter ferenda et superanda incommoda, institutioni catecheticae propria, idoneum facit. Et haec sunt sere, quibus Catecheta instructus esse debet virtutibus, quae cum pie adhibeantur, multos sane laboris sui fructus colligit in Dei gloriam. (q)

S. VI.

Iam meum est probare, Abrahham eiusmodi Doctorem catecheticum fuisse et fidei fundamenta methodo cathechetica proposuisse, suisque inculcasse. Hic res ad duo redit, primum, vt doceam, pium illum virum necessariis requisitis, quae ad erudiendos rudiores spectant, instructum fuisse: alterum, vt confirmem, eum virtutes istas in eum finem adhibuisse, vt filios et familiam suam, quae creditu et factu utilia erant, ea docuerit eo modo, vt se ad eorum ingenia accommodauerit. Illud vt probem, me converto ad cognitionem eius, quae sane in rebus diuinis fuit eximia. Deus enim viva voce fine verbo scripto aperuit ei voluntatem suam et immediate, cum migrationem ex Vr Chaldaeorum, tum cultum sacrum, in posteros conseruandum, commendauit; qui etiam collapsam doctrinae puritatem ita restituit, vt cum suis rectam fidei et morum normam haberet Gen. XII, 1. seq. Es. XXXXI, 2. 3. 4. Act. VII, 2. Obiectum enim cognitionis Abrahami theologicae fuit Deus Triunus, qui saepissime ei apparuit, expresse Deum omnipotentem se nominans Gen. XVII, 1. Ad etiam manum suam Abrahamus leuauit, eumque religiose coluit ac honorauit Gen. XIII, 22. Quod vero nec summum Trinitatis

(q) Lege summe reuerendi Kocheri, Theologi in Academia Ienensi celeberrimi Einleitung in die catechetische Theologie P. II. C. II.

tis mysterium ignotum Arahamo fuerit, luculenter patet ex Gen. XVIII, 24. vbi pluere Iehoua Dominus a Iehoua Domino perhibetur, quare et qui Sodomam subuerterunt illi יְהוָה וְאַמֹּן dicuntur, Amos III, ii. Nec minus magnus ille patriarcha cognovit Christum, mediatorem, secundum utramque naturam; de eius enim humana natura ex semine suo assumenda, non semel, sed saepius a Deo audiuit; diuinam vero ex operibus, variisque apparationibus scire potuit. Hinc diem Messiae videre gestiuit, votoque suo tandem potitus est Ioh. VIII, 56. Genes. XVIII. Habuit porro doctrinam de iustificatione: nam creditit Deo et reputatum est ei ad iustitiam Gen. XV, 6. Rom. III, 3. Eodemque modo nota ipsi et alia fidei dogmata fuerunt; quod ex dictis et factis clarum ac perspicuum est Ebr. XI, 10. & 19. (r) Cumque cognitionis seu scientiae de Deo et rebus diuinis hanc in Abrahamo quoque deprehendimus. Idque patet partim ex fide eius eximia, promissionibus diuinis, quae passim in litteris sacris commendantur, tributa; partim ex cultu sincero, quem Deo summo, solemnii modo, multoties exhibuit; partim ex insigni humilitate in tudine hospitalitatem colendi; partim ex serio studio conseruandi filium in vero Dei cultu, et impediendi, quo minus in idololatriam prolaberetur.

§. VII.

Praeter cognitionem Abrahami theologican admirabilem, varia quoque exempla prudentiae singularis extant. Quanta non erat, quam in colloquio cum Hethaeis de emtione sepulcri habito perspicimus! Quanta, quam in expeditione aduersus reges orientales, de quibus victoriam reportauit, animaduertimus! Nec minus magnum amorem erga Deum in Abrahamo admirandum habemus. Quantum enim in emigratione e patria et oblatione Isaaci exhibuit! Et quam amans fuit familiae, eius felicitatem tam temporariam, quam spiritualem et aeternam omni, qua par erat, diligenter curando! Gen. XXII, 2. XXI, 10. II. Quin amore prosequebatur et peccatores, vti deprecatione ipsius pro incolis Sodoma clare testatur. Denique probata Abrahami in variis rebus aduersis e. g. in migratione in Aegyptum ob famem, terram Chanaaneam prementem suscepta; in disfido inter pastores ipsius et Lothi; in protervia Ismaelis illudentis Isaaco et in indignatione Sarae et Sermone eius cum eo, de ciicienda Agare cum filio, instituto, patientia adparet excellentissima.

B 2

(r) Vide b. Olearii Theologiam e Genesi Mosis libatam Cap. II.

§. VIII.

§. VIII.

Hanc vero cognitionem diuinam cum virtutis studio coniunctam, vt alias, sic potissimum eo adhibuit Abrahamus, vt filii ac omni familiae suae cognitionem et amorem instillaret veri Dei et aliquando venturi semenis benedicti, cuius meritum vi remissio peccatorum, iustitia et vita aeterna per fidem vnicے quaerenda, quae vero fides sedulo per bona opera demonstranda sit. Eamque informationem, vt vsum haberet, ita instituit, vt se se ad illorum ingenia accommodauerit et methodum catecheticam, vt rudioribus conuenientissimam, elegerit. Quod eo magis credendum, quod omnia ad id requisita, eminentiori modo possedit. Eius vero rei vt fidem faciam, prouoco ad testimonium ipsius veracissimi Dei Gen. XVIII, 19. vbi angelus increatus viri forma induitus, cum ad illum accederet, et in eo esset, vt Sodomam et Gomorram, aliasque vrbes, peccatorum ad coelum clamantium noxias, destrueret, ita de Abrahamo praedicat: *Nam scio suis eum liberis, et porro suae in posterum stirpi precepturum esse, vt ad Iovae normam vitam dirigentes, iustitiam colant et jus, vt Iehova Abrahamo promissa praefest.* Hic de Abrahamo sermonem esse, e contextu clarum ac perspicuum est et nulla indiget probatione. Iam vero Deus, qui amoris affectu, paterna cura, grata prouidentia affectuque benevolentiae nouerat illum, (s) de eo dicit, quod mandaturus esset filii suis et domui suae, vt custodirent viam Domini et colerent iustiam et ius.

§. VIII.

Tria sunt, eaque catecheticae institutionis primaria, quae in allegato Dei de Abrahamo sermone consideranda, vt Abrahamum pro Catecheta si non nomine, at re ipsa habeamus, obueniunt. Nimirum

1) Obiectum catecheticae institutionis personale, quod fuerunt filii et omnis domus Abrahami, nimirum Ifaacus, vnicus e Sara, Isemael ex Agare natus, aliique, quos ex Cetura suscepit, vt et omnes caeteri, sive domi eius nati, sive pecunia comparati. (t)

2) Obiectum institutionis catecheticae reale, quod sunt fidei et morum capita, quae dicuntur via Domini, per quam intelligentia omnino est doctrina a Deo tradita et in verbo eius postea reuelata,

(s) Verbum יְהוָה hunc significatum habere, patet ex Ps. XXXI, 8. vide Stockii clauem linguae sacrae V. T. p. 431.

(t) בֵּית metonymice significare totam familiam, patet ex Gen. VII, 1. Prov. XII, 7.

ta, quae rectam credendi ac viuendi rationem, Deo gratam atque acceptam, docet et praescribit, Pf. XXV, 4. 5. Mich. IIII, 2. Act. XIII, 10. (u) Nullum igitur dubium est, quin Abrahamus familiam suam imbuturus praediceret scientia de creatione huius vniuersi, in specie hominum, eorumque felicissimo in Paradiso statu, vt et de lapsu, animae immortalitate, prouidentia diuina, vita et damnatione aeterna; in primis de semine mulieris, seu de Messia venturo, caput serpantis contrituro, totumque humanum genus redempturo, de fide in Messiam et recta Deum colendi ratione, de fine sacrificiorum a Deo intento et de iis, quae indissolubili nexu cum illis cohaerent, eum quidem in finem, vt recte credentes, pieque et iuste viuentes salutem aeternam consequerentur; quod sane per eandem fidem oportuit fieri, per quam nos hodie saluamur Act. XV, II.

3) Modus docendi vias Domini, quem verbum Κύριος indicat, quod denotat: aliquid cum auctoritate constitueret ac ordinare, promittere et rem promissam voluntate mandato suo, ad comple-
mentum adstringere. (x) Nullum autem praceptum aut mandatum sine praevia institutione dari posse, neminem latet. Abrahamus itaque diuina sapientia instructus, ad nutum et voluntatem Dei, liberis ac domui sua ab ipsa statim pueritia sancta Dei pracepta, rectamque credendi ac viuendi rationem instillaturus dicitur.

§. X.

Cum iam ab ethniciis puerorum et rudiorum institutio maxime commendata sit, adeo quidem, vt Diogenes rogatus, quodnam sit fundamentum totius reipublicae? responderet: Νέων τερπόνι adolescentum educatio; sane non potuit fieri, quin eo modo, quo hic Deus praedixit, Abrahamus, vir cognitione saluifica imbutus, Deum sincere diligens, viam Domini fideliter obseruans, verbis factisque exemplum ad imitandum suis praebens, omnem adhibuerit diligentiam, vt liberos et familiares suos bene educaret. At praeclariora sunt virtutum, quae ab Abrahomi familiaribus data sunt, exempla, quam quae optimam siue educationem, siue institutionem non significarent. Audire pretium est, quod sacrae litterae de Ifaaci fide et pietate, de serui, cui nomen Elieferi erat, fide et ob-

B 3

sequio,

(u) Vide Stockii clauem linguae sacrae V. T. p. 235. et Ruanelli bibliothecam S. P. II. p. 820. seq.

(x) Stock l. c. p. 890.

sequio, de Ismaelis quoque in sepeliendo Abrahamo demonstrata pietate, deque aliis virtutum exemplis honorifice praedicant. Quis vero sibi persuadeat, haecce sine praeuia in religionis verae principiis institutione locum habere potuisse? Quodque ea institutio modo catechetico, tanquam maxime naturali, ita facta sit, ut Abrahamus viua voce, accommodando se ad informandorum ingenia, per quæstiones et responsones rudiores erudierit, id nemo quidem, qui et simplicitatem eorum temporum, et prudentiam Abrahami considerat, facile negabit. (y)

§. XI.

Praeter hoc luculentissimum, mea quidem sententia, de Abrahami cæchesi adhuc demonstrata, testimonium aliud adfero, idque non iniuria. Est locus Gen. XII, 5. vbi de Abrahamo diuinus historicus: *et secum, inquit, Abrahamus duxit Saram, vxorem suam et Lothum, filium fratris sui, uniuersamque substantiam, quam fecerant in Charan.* Omnes fere Hebraeorum doctores hanc phrasin, animas, quas fecerant, de Abrahami institutione catechetica expliqunt. R. Aben Esra scribit: *Illæ animæ intelliguntur, quæ inventitate et cognitione diuina eruditæbantur, ut Deum verum colerent.* Et R. Salomon dicit: *Congregauerunt eas, scilicet Abrahamus et Lothus, ad Deum i. e. repererunt eas in finum veræ ecclesiae.* Quare Chaldaeus paraphrastes verba illa conuertit: *Quas legi subiecerant.* (z) Hanc doctorum Iudaicorum sententiam calculo nostro comprobare, quid vetat? Namque

1) נָשׁוּ h. l. non de generatione in sensu proprio, sed metaphorico de generatione spirituali explicandum esse,clare ex eo patet, quod eo tempore Abrahamus in coniugio sterili vixerit.

2) Ver-

(y) Summe venerabilis Walchius, Academiae Jenensis ornamentum, tam in disp. de Apostolorum institutione catechetica p. 7. quam in Introd. in Libb. Symb. p. 539. mihi in hac re consensum suum praebet, scribens: Cum de Abrahamo dicatur: *Quod sit præcepturus filiis suis, ut viam Dei ad exercendam justitiam custodiant,* hoc sane non poterat fieri, nisi antea cognouerint, quaenam sit via Dei, id quod requirebat institutionem, quæ ad illorum ingenia erat accommodata, i. e. catecheticam.

(z) Lege Carpzouii diss. ad Augustini librum de cæchesandis rudibus, aliaque scripta cæchesitica, quæ recenset Lilienthal im Theologisch-Historetischen Archiuario p. 13. seq.

2) Verbum illud non tantum acquirere, sed et rei mutationem ad nouum statum vel usum Num. XI, 8. ac executionem mandati diuini Deu. XV, 5. designat.

3) Ahrahamum, Dei cultorem studiosissimum, cum seruis atque ancillis idolatrias iugiter deditis, commercium habuisse, non est credibile. Recete igitur haec phrasis: *Animas acquirere*, interpretanda est de generatione spirituali, ac indefesso Abrahami Lothique studio familias suas, liberos nimurum et seruos, in rebus diuinis impertos, itaque in numerum rudiorum pertinentes, cognitione diuina instituendi ea ratione, qua pium ac sincerum doctorem decet. (a)

En itaque antiquae religionis nostrae, ac Doctoris catechetici exemplar, omnibus ecclesiae ministris ad imitandum propositum!

VIR plurimum reverende, Frater, ac amice honoratissime, TV a teneris vnguiculis studiis incubuisti, ac in illis, quod salua tua modestia praedico, eiusmodi profectus fecisti, vt aliis egregium eruditioinis, diligentiae et pietatis exemplum dederis: Imprimis ea studia, quae ad liberos in bonis litteris et sanctioris doctrinae rudimentis bene informandos pertinent, TIBI curae ac voluptati fuerunt. Deus, omnium bonorum fons et origo, studia tua prospera nostrae prospicit, curauit, vt ad metam, quae virtuti TVAE praeposita fuit, peruereris. Siquidem munere TVO, quod adhuc sustinuisti, tam docendo, quam erudiendo, omni diligentia et laude publice et priuatim funchus, diuina, quam summe veneramus, prouidentia, iam nouos, eosque maiores honores, meritis TVIS dignos, amicis vero iucundos accipis; qui quidem, Amice suauissime, nouam ac eam amplissimam, litteras diuinas interpretandi, et iuuentuti cum publice tum priuatim primaria religionis nostrae sanctissimae capita proponendi, occasionem praebent. Facere itaque nequeo, quin nomine membrorum societatis nostrae, litterarum causa hic instituae, ex animo nouam istam prouinciam TVAM honorifice traditam, gratuler. Imitare Abrahamum pietate, prudentia, amore, patientia, aliquisque virtutibus, quae Doctorem catecheticum ornant. Et ut ex voto TVO fiat, Deum immortalem supplex implorabo, vt quas in TE contulit praestantissimas ingenii dotes, et conseruet, et au-

geat

(a) Eandem explicationem amauerunt b. Lutherus in Comment. in h. l. Monachius Iesuita, vti Polus in Synopsi Crit. Tom. I. ostendit, Dru- sius in h. l. et Paulus Fagius in notis ad Pentateuchum.

geat atque magis magisque *TE* aptum reddat, ad gregis *TVI* comodis, ac iuuentutis saluti inferuendum. Id omnes boni eruditio[n]is ac morum Tuorum aestimatores mecum cupiunt. Conseruet *TE* Deus per plurimos annos saluum ac incolorem, atque omnia, tam animae, quam corporis bona in *TE* conferat! Ego vero, vt favorem benevolentiamque constanter mihi meisque conserues, etiam atque etiam rogo; quemadmodum me ad quaevis erga *TE* studia paratum fore, persuasissimum *TIBI* volo. At restat, quam vellem nescire! vt prouinciae meae nouiter mihi clementissime quidem demandatae gratia, cum optato longius a *VOBIS*, *VIRI*, *parentis*, ac amicorum nomine honoratissimi! dimouear; restat inquam, vt *VOBIS* ac societati, quae magno mihi et ornamento et usui fuit, Valete! animo dicam non omnino paciente.

Magnifice REVCHLINE, *Patrone aeternum deuenerande*, gratias ago *TIBI* immortales pro omnibus beneficiis, quibus me hucusque cumulasti; et submisse rogo, vt studia ac salutem meam, vt adhuc humanissime fecisti, sic in futurum quoque *TIBI* habere commendata velis. Implorabo deuotis precibus summum Numen, vt salutem *TVAM* nec aetate deflorescere, nec fatorum iniuriam reformidare sinat; sed reuigescente potius iuuentute, *TE*, quod omnium non solum societatis nostrae membrorum, sed virorum proborum pium votum est, diu ecclesiae fulcrum et Tuorum ornamentum esse iubeat.

VOBIS quoque, *Amici dilectissimi!* gratias refero maximas pro exoptatissima Vestra amicitia, qua me prosecuti estis; et vt eam in me absentem quoque conseruare velitis, vehementer rogo. Quod reliquum est, Deum humillime obsecro, vt infinita Spiritus sui gratia vos semper regere, iisque dotibus, quibus Abrahamum instruxit, ornare et augere velit animas vestras; et, quaecunque porro in ecclesiae ac scholae salutem fuscipiat, ea ex animi Vestri sententia cadere iubeat!


Valete omnes et singuli, quos valere maxime mea interest! Valete, inquam, et me, meosque amore prosequi pergitte aeterno, suauissimo!



3d 1299



SB



VIRO
**PLVRIMVM REVERENDO, CLARISSIMO, ATQV
DOCTISSIMO,**
**M. SAMVELI THEODOR
THIENEMANNO,**
SVMME REVERENDI MINISTERII ALTENBURGENSIS
ADHVC ADVTORI PROBATISSIMO,
SVCESSORI SVO AMICISSIMO, PASTORI AD COLLEGI
ILLVSTRE MAGDALENENSE, QVOD ALTENBURGI
FLORET, RITE VOCATO
NOVAM PROVINCIAM
NOMINE SOCIETATIS LITTERARIAE,
CVIVS MEMBRVM ADHVC ESSE IPSI FELICITER OBTIGIT,
PRAEMISSA DISQVISITIONE
DE ABRAHAMO, DOCTORIS CATECHETI
PERFECTISSIMO EXEMPLARI
PIE GRATVLATVR
FRIDERICVS GOTTLIEB ERDMANNVS,
PASTOR SVBSTITVTVS CALENSIS ET EPHORIA
ORLAMUNDANAЕ ADVNCTVS.

ap.



MENSE SEPT. MDCCCLIII.

ALTENBURGI. LITTERIS PAULI EMANVELIS RICHTERI